

Theol.

2549

487
19

Theol 2549

487
487
40 Theol 2549/9

D. O. M. A.

CONSCIENTIA

THEOLOGICE EXPLI

CATA ET PER THESES

DISTRIBVTA,

AD MENTEM



Fulgentissimi Theologorum Luminis, ac Fide-
lissimi Divinae Voluntatis Interpretis

D. THOMAE AQUINATIS

ANGELICI ECCLESIAE DOCTORIS.


QVAM,

*In Comitibus Provincialibus Canonorum Regularium Can-
didi Ordinis Praemonstratensis Circariae Sueviae in Im-
periali & exempto Celeberrimo Monasterio March-*

tallensi SS. Apostolorum Petri & Pauli

Celebratis,

Intellectuali perpendiculo librandam,



PRÆSIDE R.P.F. DOMINICO AVRNHAM-

MER/ORD. PRÆD. SS. THEOLOGIAE PRÆSEN-

TATO, EIVSQVE IN DICTO MONASTERIO

PROFESSORE ORDINARIO,

Publico certamini proponent,

Rnd:Pater & RR. Fratres SS. Theologiae Studiosi ibid. Professi.

P. GODEFRIDVS DORNER, Fr. NORBERTVS KEIL,

Fr. IOSEPHVS HOEL, Fr. BARTHOLOMEVS AGRICOLA.

Mense Die Horis

Anno M. DC. LII.

CONSTANTIAE,

Ex Typographæo Episcopali, Apud Ioannem Geng.



PERILLVSTRI ET R.^{mo} IN CHRISTO
PATRI AC DOMINO, DOMINO
AVGVSTINO. LE SCELLIER,

&c. Canonici Ordinis Præmonstratensis Generali meriti-
tissimo, Divi Magni Patris Augustini Doctoris Ec-
clesiæ Cultori ac Imitatori Religiosissimo.

Arcus intensus cum sagitta amoris & obsequijs
deditissimis oblatus & Tholo Religioso appensus,

Augustinus amans intensè Lumen Olympi,
A binis telis saucia corda gerit.

Scilicet hoc vulnūs fecit diuinus amoris

Arcus, ut in proprio stent duo tela scopō.

Nulla Cupidineis impletur arundo venenis,

Ut Deus est purus, sic nitet eius amor.

Ter Venerande Pater, Nivei ter Maxime Præsul
Ordinis, hoc signum stat quoq; corde tuo.

Numen amas, primum sic vulnerat impete telum,

Numen cognoscis, tela secunda volant.

Verus telorum scopus est cor pectore candens,

Cognoscendo Deum, plus, reamando Deum.

Ast non sufficiunt, alternæ in corde sagittæ,

Addenda est illis tertia, noster amor.

Ergo sagittamus votis, nunc arcus amoris
Tenditur, intensus sit tibi noster amor,

A

Religioso & Humili Conventu Marchtallensi & binis
in eo studiis Theologico ac Philosophico,

PERILLVSTRI AC REVERENDISSIMO
IN CHRISTO PATRI, AMPLISSIMO
PRÆSVLI ET DOMINO, DNO,

AUGVSTINO

LE SCHELLIER,
PRÆMONSTRATENSIS ARCHICOENOBII
ABBATI,

Christianissimi Francorum Regis Consiliario & Eleemosynario,
totius Canonici Ordinis Præmonstratensis Supremo
Capiti & Reformatori Generali, Domino nostro
Clementissimo & Gratiissimo,

REVERENDISSIMIS ITEM ATQVE AMPLISSIMIS
PRÆSVLIBVS AC DOMINIS D. CELEBERRIMÆ
Circariæ Sueviæ eiusdem Candidi & Canonici Ordinis
Præmonstratensis,

ABBATIBVS ET PRÆPOSITIS

MERITISSIMIS ET VIGILANTISSIMIS,

D. LVDOVICO per Sueviam, Al- fatiam & Grifoniam Visita- tori & Vicario Generali,	} Abbati	Celeber: Monast. Rothenfis.
D. MATHÆO,		Vrspergensis.
D. FRIDERICO,		Roggenburgensis.
D. IOANN. CHRISTOPHORO,		Minor Augiensis.
D. MATHÆO,		Sorethani.
D. CONRADO,		Marchtallensis.
D. GEORGIO,		Adelbergensis.
D. DOMINICO,		Wildenenfis.
D. AD S. LVCIVM,		propè Curiam.
D. NORBERTO Præposito Cellæ omnium Sanctorum, Dominis nostris observandissimis,		



Ilere Leges inter arma, Perillustris & Reverendissimi Præ-
sul Generalis, Reverendissimi & Amplissimi Patres, plus
quàm compertum est; nec à vero aberraverit, qui legibus sacra-
rum litterarum studia iungens utrumq; animæ lumen, Scienti-
am nempe & Conscientiam bellorum turbine vel obscurari di-
xerit, vel extingui. Geminum hoc damnum vicine passim lu-
gent Provincia, quæ gravissimis calamitatibus immersæ, cessante
bonarum artium cultura, migrante exemplaris vitæ disciplina, misere propemodum
sylvescere, & vix non correre videbantur. Nec mirum. Amplissimarum namq; do-
morum ædificia binas super columnas fundata, ijs consistentibus, necessum est ædifi-
cium consistat, ijs verò collabentibus, ædificium quoq; collabi oportet, ut iam eiusdem
neq; species, neq; decor remaneat, sed totum in rudera solvatur.

Status Religiosus tale ædificium est, Perillustris & Reverendissime Pater,
Amplissimi Præfules, constructum in duabus præcellentibus columnis Pietate
vid: & doctrina, quibus in firmandis aut exornandis ædificijs spiritualibus nil ope-
rosius, præstantius nihil reperiri potest, ijs namq; comitibus nunquam dignitates Ec-
clesiastica, nunquam status religiosi, nunquam clariùs DEO consecratæ fulsere Res-
publicæ: ijs verò collabentibus Religio omnis exultat, virtutes dilacerantur, scientiæ
pessundantur, seva atq; ferina ubiq; dominatur ferocitas.

Vtramq; hanc columnam eodem incompleto Conscientiæ nomine insigniri
nemo inficiabitur, qui mysteriosum hoc vocabulum altiùs contemplatus fuerit; quod
si primam trilateralem syllabam (con) perdat, destruitur prima columna, pietas
vid: & recta ratio agendi, manetq; sola scientia, ast quoniam scientia (quæ vid:
non est secundùm DEVM, nec secundùm conscientiam) inflat, primæ ad Cor. 13-
& ipsa corruptioni obnoxia, pereunte similiter eius primâ trilaterali syllabâ, (Sci)
perit altera columna, & sola entia remanent, ut iam ex tam operoso religiosi sta-
tus ædificio, collabentibus columnis, Scientiâ vid: & Conscientiâ, pietate & do-
ctrina, nul superstit nisi entia, id est, sterilia rudera, imò vix vestigium amplius re-
ligiosa domus compareat. Nec longè eiusmodi ruina, petendum est exemplar: ex-
perientiâ namq; sat superq; compertum est, quàm lamentabili eiulatu, quàm lugubri
voce, per plurimorum annorum curricula (ferociente nimirum tam atroci &
sanguinolento in Germania bello, & totum ferme Romanum Imperium funditus de-
vastante) DEI Ecclesiæ, Religiosa domus &c. hunc casum, hanc ruinam columna-
rum suarum deplorârunt & etiamnum deplorient.

Ast redijt, sedatâ Martis feritate, serenitas, redeunt (post militare ferrum,
in usum Vomeris ac falcis restitutum) mores & disciplina, pullulant in nostra ob-
sequia faciles Musæ, imò scientiarum Magistra Theologia cum Philosophia ministra
in medio nostrum (nutu Reverendissimi & Amplissimi Dni. D. Abbatis & Pa-
tris nostri amantissimi salutis filiorû suorû solertissimè prospicientis) iam
iam sedem fixit, quotidie personat, & limpidiissimi instar rivuli in animos nostros mit-

tit eloquia sapientia suæ, ed clariora, quod ex puriore fonte Angelico scil: Præceptore D. Thoma uberrimè dimanant, præsertim verò id unum agit modò, ut conscientijs nostris recta persuadeat, erronea tollat, probabilia sequi, examinare dubia, scrupulosa deniq, faciat detestari: quibus velut fundamentò & primâ columnâ ad reparandam domum religiosam positis, in reliquas captu difficiliore materias audentius ire, sententiam præterea minus tutam, suspectam aut erroneam, quasi araneam D. Conradi ejicere licebit, ita enim fiet, ut totum ædificium spirituale iam dudum, iniuriâ temporum, in mera entia & ruderâ solutum, tandem velut Phœnix ex cinere ab integro resuscitetur, atq, ex entibus perfecta scientia resurgat & Conscientia. Hanc igitur Conscientiâ Theologicè explicatam & per theses distributam, palàm discutiendam, offerimus comprimis Tibi Perillustris & Reverendissime Pater, utpote supremo Capiti & Generali Reformatori Conscientiarum nostrarum, ut Tuo illustretur aspectu, Tuis decoretur, muniaturq, præsijs: suadent hoc animi Tui ornamenta atq, insignes dotes, allicit Tua Nobilitas & Virtus, monet Religio & Pietas, doctrina & prudentia, gravitas & humanitas, urget Tua in rebus gerendis dexteritas, in subditis regendis facilitas, ergâ omnes affabilitas, ut Tibi velut laudatissimi Ordinis nostri Primati laborum nostrorum Primitias consecremus, atq, in gremium Optimi Patris studiorum nostrorum fructus, quos in SS. Theologiae campis collegimus, deponamus. Hos igitur parere Dignitatis Tuæ limina subire, & sub Nominis ac Pallij Tui tentorio super Gregem tuum extenso, acquiescere, sub cuius tutela nos tanquam tutissimâ parmâ victores, & pugiles scholasticos ac Religiosos defendendos, triumphaturosq, speramus.

Deinde ad Vos Rmi & Amplissimi Præsules (quos Generale & supremum Caput nostrum suos veluti Vicarios in regendis ac dirigendis filiorum suorum Conscientijs in clamat, pias, rectas, sanctasq, ut plantetis, erroneas verò & quibuslibet periculis obnoxias Divinæ ac Summæ Maiestati abominabiles radicibus eliminatis) tanquam splendidissimos Chybeos Canonicum Ord: nostrum mirè exornantes confugimus, sic enim, cum virtus unita sit fortior, fiet, ut Reverendissimi Generalis Tiarâ protecti, vestris verò pastoralibus baculis ceu gladijs defensi, hostem gloriose subigamus, feliciter triumphemus, ubi vestra laudabilis vitæ rectæque conscientia ductum, quod hoc cè thesaurum fasciculo contestatum volumus, filiorum more semper ac indefesso spiritu secuti fuerimus. Favete pariter, vivite felices, & Ecclesie, Ordini ac Monasterijs Vestris quàm diutissimè incolumes perstate. Ita vovemus, ita precamur,

Perillustris & Reverendissimæ Paternitatis Tuæ,

Reverendissimarum & Amplissimarum DD: Vestrarum,

Devotissimi Clientes,

P. Godefridus Dorner.

F. Norbertus Kheyl.


F. Iosephus Hoel.

F. Bartholomeus Agricola,

1
1
1
1

Canonici Marchallenses,
SS. Theologiae Studiosi.

P R Æ F A T I O.



Catholica Veritatis & Ecclesie Doctor Vere
 Angelicus D. Thomas Aquinas, Catholicum
 quondam Christianae scholae discipulum & exi-
 lij huius viatorem, ad caelestem, pro qua cre-
 atus est, aeternae beatitudinis patriam, securo tramite dirigere
 ac transmittere cupiens, in pluribus suis operibus, tum vel
 maxime in aurea illa sua PRIMA SECUNDÆ, de rectitudine &
 bonitate humanorum actuum, tum interiorum, tum extero-
 rum, tanquam mediò omnibus modis necessariò ad attinge-
 num perennis illius felicitatis scopum sollicitè valdè instrue-
 re contendit; inter actus autem illos internos ipsa hominis
 Conscientia principem quasi occupat locum, & speciali,
 cautaq; omninò ac prudenti indiget directione: Hinc non
 abs re nos facturos existima vimus, si eandem materiam (de
 qua Theologi Scholastici fermè omnes cum illo suo Angelico
 Magistro in Prima Secunda super questionis 19. articulum
 5. & 6. copiosum formant tractatum de Conscientia eiusq;
 divisione, & obligatione &c.) compendiò quòdam constrin-
 gentes, publico certamini, intellectuali perpendiculo libran-
 dam exponeremus. Cum autem Conscientia sit varia,
 nec exigua inter DD. oriatur controversia, ex cuiusnam
 conscientiae cõformitate actus humanus reddatur & fiat bo-
 nus, itemq; ex cuius difformitate constituatur malus, placuit
 id subiectis Thesis⁹ explicare, easq; in quinq; partes dividètes
 in 1. de Conscientia universim eius divisione, & in specie
 de recta, in 2. de erronea in 3. de dubia, in 4. de proba-
 bili, & denique in 5. de scrupulosa agemus.

PARS PRIMA.

De Conscientia universim, eius divisione: in Specie de recta, eiusque obligatione.

THESIS I.

Ethymon huius nominis Conscientia.

 Conscientia mysteriosè hoc nomine vocatur, importat enim secundum vocabuli proprietatem ordinè scientiæ ad aliquid, nam conscientia dicitur cum alio scientia. S. Tho. 1. p. q. 79. a. 13. Id verò duobus modis intelligi potest, vel quod ratio nostra cum DEO sciat, attendatque ad legem eius æternam, num ab ea discordet, an verò eidem conformetur, quò modò quasi ex officio incumbit ei instar Procuratoris fiscalis indefinenter invigilare pro iure DEI sui, iudicatque aliquid hic & nunc vetitum aut concessum, malum aut bonum: vel dicitur cum alio scientia, id est, cum habitu *Synteresis*, cuius est dictare prima principia generalia moralia, v.g. bonum est faciendum, malum fugiendum &c. medijs quibus regulantur omnia agibilia; *Conscientiæ* verò munus est, eiusmodi generalia principia in particulari applicare, vt patet in hoc discursu, omne bonum est faciendum, sed dare eleemosynam hic & nunc extremè indigenti, est bonum, ergò teneor ei dare eleemosynam, in quo iudicium præmissarum est *Synteresis*, iudicium verò Conclusionis est *Conscientiæ*, proinde accomodè nuncupatur hoc nomine *Conscientia*, id est, cum alio scientia.

II. *Quidditas & natura Conscientiæ.*

Hinc facilè liquet, Conscientiam neque esse ipsam intelligendi facultatem, cum hæc deponi nequeat, *Conscientia autem deponi potest*, S. Th. loc. cit. in arg. sed contra, neque esse habitum aliquem superadditum ad iudicandum inclinantem, siquidem quilibet habitus vendicat sibi actus proprios alijs potentijs minimè communes, quod conscientiæ non competit, vtpote cuius universi actus ad intellectum reducuntur: est ergo conscientia merum actuale iudicium intellectui inhærens instar actus secundivitalis ab intellectu practico eliciti, cuius est instigare, voluntatem ad opus morale, hic & nunc aggrediendum, vel omittendum: Vnde propriè loquendo conscientia nominat actum. S. Tho. loc. cit. in corpore.

III. *Quædam obiecta priori thesi ad-versa solvuntur.*

Nec officit primò, quod etiam dormientes dicantur habere conscientiam, in quibus tamen nec iudicium, nec dictamen aliquod actuale de opere executioni demandando invenitur. 2. Scientia nomi-

nat habitum, cum igitur conscientia sit quædam scientia, erit & ipsa habitus. *Tertio*, Saltem ex multiplicatis actibus ipsius conscientie generabitur habitus. Non obsunt ista. Ad *Primum* namque respondet S. Thomas in quæst. disputatis q. 17. a. 1. ad 9, dicens, quod *quamvis conscientie actus non sit semper, nec sit in dormiente* (intellige formaliter & per modum actus secundi) *tamen actus conscientie manet in sua radice, id est in habitibus applicabilibus ad actum.* Ad 2. similiter respondet loc. cit. ad 3. *quod quamvis scientia sit habitus, tamen applicatio scientie ad aliquid non est habitus, sed actus, & hoc significatur nomine conscientie.* Ad 3. R. ex multiplicatis actibus generari habitum, quando non adest sufficiens habitus vel formalis, vel emittens, qui possit tales actus producere, modò autem habitus Synteresis, sufficiens est ad eiusmodi actus eliciendos, qui conscientie competunt.

IV. *Dividitur Conscientia in suas species.*

Conscientia in quinque species seu membra principaliter dividitur, iuxta numerum principiorum, ex quibus dictamen rationis de rebus hic & nunc agendis aut omitendis existere potest. Vel enim conscientia per verum & legitimum discursum ex principio vero veram concludit sententiam, & est *recta*, vel procedit ex falso & improbabili principio, aliter iudicans de obiecto, quam re ipsa est, & dicitur *erronea*, vel est actus intellectualis procedens ex ambiguis principiis aut *Iuris* aut *Facti*, comparans & examinans operationem humanam ad regulas & leges absque omni resolutione, & est *dubia*: vel oritur ex principiis & motivis probabilibus, assentiturque uni parti cum formidine alterius, & est *probabilis* seu *opinativa*, vel denique adhæret uni parti non solum cum formidine, sed etiam cum remorsu & anxietate, & dicitur *scrupulosa*.

V. *De obligatione Conscientie rectæ.*

Cum Conscientia recta sit immediata & proxima regula humanorum actuum à libero arbitrio prodeuntium, *procul dubio ligat*, S. Tho. de ver. a. 3. ut unusquisque teneatur se conformare huic regulæ, alioquin peccabit, teste Apostolo ad Rom. 14. v. 23. *quod non est ex fide*, id est, exponente, S. Tho. ibidem lect. 3. & alijs SS. PP. *quod non est iuxta propriam conscientiam dictamen, aut ei adversatur, peccatum est.* Quod si quærat, quomodo conscientia ligare possit, cum homine non sit superior? R. quòd quamvis ipsa conscientia non sit superior homine, tamen lex aut præceptum, quod conscientia applicat, est quid superius, vel à DEO, vel ab alio Legislatore profectum. Nec requiritur quod conscientia quæ ligat, etiam absolvere possit; nam etiam Leges Civiles obligant in conscientia ad culpam (ut alibi docetur) à qua tamen potestas Civilis absolvere

ne.

nequit, sicut nec homo seipsum à voto aut iuramento deliberata voluntate facto absolvere potest.

VI. *Quanam bona sub obligante conscientia cadant?*

ADvertendum, duplex esse bonum, unum necessarium, idest, cadens sub præcepto, alterum contingens idest, cadens sub consilio, de hoc non procedit nostrum præcedens assertum, *quia qui consilium præterit non peccat.* S. Tho. de ver. a. 4. non enim hoc ipso, quod conscientia alicuius secularis dicitur esse bonum ingredi religionem, tenetur illam adire; intelligitur ergo de priori bono cadente sub præcepto, *quia si non servamus præcepta, peccatum incurrimus.* S. Tho. ibidem.

VII. *Dissolvitur quedam obiectio.*

Conscientia eò ipso quod dicitur aliquid esse malum, obligat ad vitandum illud; ergo etiam eò ipso quod dicitur aliquid bonum qualecunque, inducet vi sua ad prosequendum illud. R. Concesso Anteced. neg: conseq: ob disparitatem, quod conscientia respectu mali fugiendi subordinetur præceptis negativis, quæ semper & pro semper obligant: at verò respectu boni prosequendi subordinatur præceptis affirmativis, quæ quidem semper, sed non pro semper obligant, & ideò nisi sit bonum cadens sub præcepto, non obligat ad prosequendum.

VIII. *Declaratur vis obligantis conscientia.*

Tanta est vis obligantis conscientia, ut nec per potentiam DEI absolutam quis impunè agere possit contra eam. Fundatur hoc in manifesta contradictione quæ inde sequeretur, vid: quod homo esset obligatus & non esset obligatus sequi dictamen propriae conscientia, *Primum* quidem, quia maneret & perseveraret dictamen conscientia, quod semper obligat: *Secundum* autem, quia supponitur eiusmodi obligationem dispensatione divina esse sublatam, sed imperceptibile est quod in aliquo maneat sua conscientia & rectum dictamen, & quod sit per dispensationem liber ab eius obligatione: unde etiam gratis concessò, quod DEVS dispensare possit in præceptis aut primæ aut secundæ tabulæ, negamus tamen in conscientiam eiusmodi dispensationem cadere posse.

IX. *Agere contra conscientiam sitnè speciale peccatum?*

Nec speciale, nec duplex peccatum est agere contra conscientiam. Ratio prioris est, *Primo*, quia agere cum remorsu conscientia reclamantis, est quædam generalis conditio reperibilis in omni specie peccati, sicut amor proprius: *Secundo*, quia conscientia non est regula diversa à præcepto, quod per eam voluntati proponitur, nec est alia obligatio disparata

sequendi conscientiam & alia sequendi præceptum virtutis, quod conscientia nobis proponit & voluntati applicat, ergo secundum se non importat specialem malitiam. Ratio *posterioris* est, quia lex æterna & conscientia sunt essentialiter inter se subordinatæ, sicut Præceptum Regis & Prætoris, ut una cum altera non ponat in numerum, hinc contradicere conscientiæ est contradicere legi æternæ, illi tanquam regulæ proximæ, huic tanquam remotæ; adeoque non erit duplex peccatum, agere contra conscientiam.

X. *Iudicium conscientia debet esse aut actuale
aut virtuale.*

VT quis dicatur agere contra conscientiam, non satis est iudicium aliquod habituale, quò quis habitualiter iudicet, opus aliquod esse sibi præceptum aut prohibitum, sed requiritur actuale, vel in seipso præsens dum ad opus applicatur, vel saltem in virtute perseverans, postquam physicè præterierit actuale, ad eum modum, quò intentio virtualis ex actuali relicta sufficiens est ad pensum horarum ritè persolvendum: sic enim voluntas vigore talis iudicij physicè quidem præteriti, sed virtualiter præsentis adhuc moveri potest ad agendum aut omittendum, secundum quod conscientia dicaverit,

PARS SECUNDA. De Conscientia erronea.

THESIS XI.

Conscientia errans alia vincibilis, alia invincibilis est.

Supposita in Superioribus, thesi 4. descriptione conscientiæ erroneæ, dividimus nunc eam in vincibilem & in invincibilem. Illa est, quæ provenit ex ignorantia vincibili & culpabili, quæ humanâ diligentiam & industriâ potest & debet deponi: altera verò est, quæ cum ortum habeat ex ignorantia invincibili, per humanam diligentiam & industriam depelli non potest, quali errore credendum est laborasse Patriarcham Iacob, dum accessit ad Lyam necdum suam.

XII. *Obligatio conscientia errantis.*

Negari non potest, quin conscientia sive vincibiliter, sive invincibiliter errans inducat aliquam obligationem, ratione cuius, quisquis contra eam agit, semper peccat, eò quod voluntas nunquam eximatur ab obedientia debita rationi, etiam dum ipsa errat. Est tamen discrimen inter conscientiam invincibiliter & vincibiliter errantem, quod illa simpliciter obliget non solum ad negativum, ne quidquam contra eam agamus,

mus, sed etiam ad positivum, ut videlicet eam positivè sequamur, hæc verò licet simpliciter obliget ad negativum, quò tenemur non agere contra illà, ad ipsam tamen positivè sequendam non datur nisi obligatio secundùm quid & ex hypothesi. Ita colligitur ex S. Tho. in 2. d. 39. q. 3. a. 3. in corp. & de Ver. q. 17. a. 4.

XIII. *Stabilitur prius assertum optimo exemplo.*

Sunt v. g. duo in hoc errore constituti, quod liceat mentiri ad salvandam vitã Principis, in casu quo aliter vita eius salvari nequit, cum hoc tamen valdè observando discrimine, quod error unius sit invincibilis, alterius verò vincibilis, in hoc casu uterque parem habebit obligationem ad negativum, quod est non agere contra dictamen conscientiæ, ad positivum verò, id est, ad positivè mentiendum disparem: nam ille cuius error est invincibilis, cum eum deponere nequeat, obligatur ad reipsa mentiendum, cuius verò vincibilis est error, non obligatur ad mentiendum, sed ad deponendum suum errorem: quod si neglexerit & in alterutram partem deflexerit cum altero qui laborat errore invincibili, sive agendo, sive non agendo secundùm conscientiam, inimpedibiliter peccabit.

XIV. *Obijciuntur quedam in contrarium.*

Primò. Quamvis conscientia erronea invincibilis obligare posse videatur ad omittendum vel faciendum ea quæ sunt indifferentia, minimè tamen ad omittendum ea quæ sunt intrinsecè bona, aut ad faciendum, quæ sunt intrinsecè mala, uti sunt odium DEI, blasphemia, furtum &c. hæc enim nulla lege honestari possunt, ergo neque peculiari lege & dictamine conscientiæ, *Secundò.* Conscientiæ vis non potest in amplius, quàm potestas DEI, est enim illa derivata ab ista, sed DEVS nullò pactò obligare potest ad blasphemiam & furtum &c. igitur multò minùs conscientia. *Tertiò.* Sequeretur saltem quod DEVS posset obligare hominem mediã conscientia erroneã ad aliquem actum malum, v. g. ad actum mendacij, blasphemiæ, &c. quò datò, etiam per suos Ministros poterit nos decipere & inclinare ad falsum, quæ omnia sunt absurda.

XV. *Diluitur prima obiectio.*

AD primam obiectionem & eiusmodi actus intrinsecè malos honestari dictamine conscientiæ non per se, sed sub conditione & per accidens, scilicet ratione apprehensionis, quã indicatur bonum. S. Tho. in 2. d. 39. a. 3. in corp. cum enim lex naturalis & divina non obligent, nisi quatenus proponuntur per proximam regulam ipsam nimirum conscientiam, hic & nunc autem actus eiusmodi à conscientia voluntati non proponantur sub ratione mali, sed sub ratione boni, tanquam secundùm legem DEI,

fit quod huiusmodi actus sint quidem prohibiti prohibitione legis, sed non promulgatione conscientiae in ordine ad illum, qui habet conscientiam erroneam (intellige invincibilem) respectu illorum actuum; unde quamvis in eiusmodi homine adhuc perseveret secundum se obligatio non faciendi actum intrinsecè malum, nihilominus ex praesenti dispositione subiecti, quodammodo dormit & stupet huiusmodi obligatio, & se habet moraliter ac si non adesset.

XVI.

Solvitur altera obiectio.

AD alteram obiectionem & quod conscientia obligat non virtute propria, sed virtute praecepti divini, nō enim dicit aliquid esse faciendū, hac ratione, quia sibi videtur, sed hac ratione, quia à Deo praeceptū est. S. Th. loco proxime cit., ad tertiū. Vnde nō latius patet eius auctoritas, quā divina, siquidē nō obligat, nisi in vi legis divinae, & veluti sub illius sigillo agenda praescribit. Et quāvis DEVS per seipsum nullatenus obligare possit ad mendaciū v. g. proferendum, cum sit prima veritas & summa bonitas, quae non potest errare, ut indicet hoc esse faciendum, quod non est faciendum. S. Tho. ibidem ad quartum, tamen obligat nos ut sequamur ductum rationis, etiam dum ipsa errat: Sicut si praeceptum Regis non perveniret ad populum, nisi mediante aliquo principe, si princeps diceret hoc est praeceptum à Rege, quamvis non esset verum, dictum suum obligaret, ut praeceptum Regis, ita quod contemptores mererentur poenam. S. Tho. l. c. ad tertium. Adverte tamen cum eodem S. D. q. 17. de ver. a. 4. quod ille, qui conscientiam erroneam habet, inheret quidem per se loquendo conscientiae rectae, sed erronea quasi per accidens, in quantum hanc conscientiam, quam credit esse rectam, contingit esse erroneam.

XVII.

Satisfit tertiae obiectioni.

AD tertiam obiectionem dicimus in primis, quod si procedat de conscientia & errore vincibili, argumentum nullum habebit vim, quando quidem nos libenter concedimus, DEVM non obligare ad Positivum dictaminis errantis vincibiliter, sed ad negativum solum. In casu verò invincibilis erroris dicimus, quod DEVS per conscientiam errantē nos minimè decipiat, nec obliget ad mentiendum pro formali, sed tantum ad sequendum dictamen rationis, cui obligationi materialiter mereque per accidens coniungitur illa defectuositas mendacij, id est, non ex procuratione DEI, sed ex solo vitio conscientiae calligantis. Eodem modo non sequitur, quod DEVS per Ministros, Prophetas vel Praedicatores à se missos nos decipere possit, si enim ea nobis proferant, quae DEVS ipsis commisit, non decipiemur, si alia, decipiemur quidem, sed non à DEO, quia illa falsitas & fallacia primario oritur ab instrumento defectibili, non à DEO.

XVIII. Quarta

Posita obligatione conscientie errantis ad sui sequelam, sequitur hominem fore planè perplexum & necessariò peccaturum, ut si iudicet esse furandum, quidquid egerit necessariò peccabit, ergò nullam inducit obligationem. & Conscientiam erroneam nec cogere ad peccatum, nec inducere perplexitatem simpliciter, sed secundùm quid & ex hypothesi tantùm, si enim error fuerit vincibilis, non obligat ad positivum illud, quod peccatum est, quia *potest homo conscientiam erroneam* (intellige vincibilem) *sicut & intentionem pravam deponere, & idè simpliciter non est perplexus: quòdam verò positò non est inconueniens illo stante aliquem perplexum fore, id est, ex hypothesi & secundùm quid.* S. Tho. in 2. d. 19. a. 3. ad quintum, & de ver. q. 17. a. 4. ad 8. Si verò error invincibilis fuerit tunc illud positivum ad quod obligat, cessat esse peccatum. Hinc fit, quod si alicui invincibilis error dictaret in aliquo negotio utramq̄ contradictionis partem esse peccatum, tunc quodcunq̄ ex duobus elegerit, non peccabit v. g. assistit aliquis infirmo graviter decumbenti, creditq̄e invincibiliter peccatum esse, si eà die non celebraverit, similiter peccatum esse, si infirmum tantisper reliquerit, utrumvis horum fecerit, non peccabit. Ratio est, quia ad peccatum non sufficit quæcunq̄e libertas, sed requiritur libertas etiam à perplexitate, idest, à necessitate incurrèndi alterum è duobus quæ videntur mala.

Obligetne magis conscientia errans, an verò præceptum Prælati?

Est v. g. casus. Præcipit Prælati sub peccato mortali aut sub obedientia, ut subditus hoc aut illud faciat: subditus verò ex conscientia invincibili errante iudicat se peccaturum lethaliter, si hoc aut illud fecerit, quæritur iam quænam obligatio sit maior, & quænam sequenda? Respondet S. Tho. in 2. l. c. ad 3. quod *dictamen conscientie plus obligat, quàm præceptum Prælati sicut & præceptum divinum in cuius virtute ligat: ut enim dicitur Act. 5. v. 19. obedire oportet DEO magis, quàm hominibus, idq̄e verum est, sive secundùm rem præcipiatur aliquid contrarium DEO, sive credatur invincibiliter esse tale, quod præcipitur: unde cum præceptum divinum obliget contra præceptum Prælati, & magis obliget quàm præceptum Prælati, conscientia ligamen erit maius, quàm ligamen præcepti Prælati & conscientia ligabit præcepto Prælati in contrarium existente.* S. Tho. de ver. q. 17. a. 5. in corp.

XX. *Quò pacto deponenda sit conscientia erronea?*

Cum deponere conscientiam errantem nihil aliud sit, quàm iudicium erroneum mutare, id non debet temerè fieri, id est, absque ulla ratione in contrarium facta, sed debet adesse iudicium contrarium priori, quod habeat ad minus æquale & probabile, si non maius fundamentum, quàm fuerit ab errore conceptum, imò non est improbableè sufficere lumen naturale ad expellendum errorem, & ad iudicandum contrarium illi quod prius tenuit.

PARS TERTIA. De Conscientia Dubia.

THESIS XXI.

Dubium aliud speculativum, aliud practicum.

Dubium speculativum dicitur, quod est de re aliqua, de qua apud Eruditos adhuc nulla existat definitio, nec certi aliquid cõstat de bonitate aut malitia apud eos, qui rem ex principijs suis intrinsicis examinant, adeoque non est de actione aliqua humana, sed de quodam alio legitimo v. g. an testamentum sit legitimum? utrum matrimonium sit validum? Dubium verò practicum communiter appellatur, quando aliquis directè dubitat de re aliqua facienda, sitne licita, nec ne, v. g. suppositò dubiò speculativò de valore matrimonij, incipit quis in particulari dubitare, liceatne reddere debitum.

XXII. *Alia dubiorum subdivisiones.*

Rursus dubium aliud est *Iuris*, aliud *Facti*, aliud *Vincibile*, aliud *Invincibile*. Dubium *Iuris* est, quando conscientia hæsitat de iustitia vel iniustitia actionis, v. g. an liceat die festo bellare, piscari? cuiusmodi quæstiones in scholis agitari solent, licet hoc dubium magis censerè debeat *Iuris* speculativum, quàm *Iuris* practicum, hoc enim versatur circa actionem humanam magis in particulari, an si illam elicuisses, aut eliceres, benè faceres. Dubium *Facti* est hæsitatio innixa incertitudini operis à te patrati v. g. an occideris vel damni alieni causa existiteris, ita quod inde suspensa maneat resolutio, num tenearis ad aliquam restitutionem. Dubium *Vincibile* est, si adhibitâ congruâ diligentia possis te ab illo expedire declinando in alterutram partem media ratione sufficienti. *Invincibile* est, si à te nec excogitari, nec aliundè obtineri possit ulla sufficiens ratio dubium deponendi, vel adhærendi alteri contradictionis parti

XXIII.

*Peccatum est agere cum conscientia
practicè dubia.*

Actus humanus elicitus cum conscientia practicè dubia malus est & peccaminosus, aliquando mortaliter, si faciat aliquid, de quo dubitat, sitne peccatum mortale, aliquando verò venialiter, si dubitet sitne peccatum veniale. Rationem suggerit Apostolus ad Rom: 14. *Quod non est ex fide peccatum est*, id est, quod non est secundum conscientiam, quæ iudicet rectum & licitum esse quod operamur, peccatum est. Idque confirmatur ex illo Ecclesiast: 3. *Qui amat periculum, peribit in illo*, at qui cum dubio practico operatur exponit se periculo peccandi pro qualitate dubij, ergo.

XXIV.

*Quid faciendum, si pro utraq; parte
dubium fuerit invincibile?*

Quod si pro utraq; parte dubium fuerit invincibile, ita quod pro nulla parte deponi possit, sitque omninò æquale, & utrinque periculum censeatur æquale, nec possit suspendi actio, licitum erit amplecti quodlibet è duobus contradictorijs. Ratio colligitur ex thesi 18, quia hic non adest libertas à perplexitate, cum non detur medium evadendi utrumque periculum. Quod si verò pro una parte aliquid fuerit certum, & pro altera dubium, peccatum erit sequi quod dubium est, relinquendo quod certum est, iuxta illam regulam Iuris *cap. Iuvenis, desponsalib. & matrimon: Inter partes dubias eam esse eligendam, quæ tutior certiorq; existimatur*. Et S. Aug. hom. 41, *tene certum & dimitte incertum*. Hinc cum dubito, an contractus quem celebros, sit usurarius, teneor non celebrare, quia in hoc nullum est periculum.

XXV.

*An in omni dubio facti melior sit con-
ditio possidentis?*

Quamquam aliqui Recentiores existiment, privilegium possessionis valere in sola materia iustitiæ cõmutativæ, ita quod extra illam, stan- te dubiò speculativò nulli liceat, ob solum titulum possessionis practicè favere possidenti, sed tutior pars ubique sit eligenda. Attamen S. Tho, in suppl. ad 3. p. q. 53, art. 1. ad 1, apertè docet, etiam extra materiam iustitiæ potiorem esse conditionem possidentis, hoc est, quod titulus possessionis etiam alibi excuset, licitamque reddat actionem, quæ aliàs ratione dubij aut alterius vinculi illicita foret: patet hoc in voto simplici castitatis, quò si alter Coniugum astrictus est, hõc ipsò teneretur abstinere ab omni actu coniugali, non tantum petendo, sed etiam admittendo, quia tamen pro altero coniuge militat Ius possessionis, sit alteri licitum quasi ex in-

indirecto, ut possit petenti præstare copulam coniugalem, non tamen ut eam per modum debiti possit postulare. In quo casu constat vinculum voti tantisper cedere Iuri possessionis, quod est in altero.

XXVI. *Dubius de dominio rei possessæ.*

Hinc inferimus primò, suprapositam Iuris regulam de meliore conditione possidentis, etiam favere possessori rei alicuius, agri v. g. aut prædij de quo dubitat, an dominium eius ad se pertineat, quando dubium subortum fuit, non statim ab initio, sed primùm in continuatione istius possessionis, dummodo adhibeat diligentiam in inquirendo certiore Domino ad omne dubium tollendum. Ratio est, quia in Iure prædiorum tam diu unusquisq; possessor bonæ fidei dicitur, quàm diu ignorat (intellige per ignorantiam invincibilem) se possidere alienum. Cap. Si Virgo, 34. q. 1. quod si verò ab initio possessionis talis rei dubius erat, non potest illam retinere, quia appropriavit sibi aliquam rem, quam non magis ad se, quàm ad alium spectare putabat.

XXVII. *Dubius circa legitimam conditionem prolis.*

Inferimus secundò, dictam regulam favere quoque filio, cuius legitimitas dubia est, si tamen sit in possessione hæreditatis, quod si hæreditati divisæ & ab alijs iam possessionis supervenerit, & legitimitatem suam per argumenta & signa, quæ pro possessione famæ legitimorum natalium faciunt, probaverit, debent alij portionem, quæ eum iustè contingit, extrahere, eiq; consignare: Si denique bona illa adhuc à nullo hæredum possideantur, poterit is cuius legitimitas dubia est, cum alijs securè succedere, ne pro delicto incerto subeat pœnam exclusionis certam.

XXVIII. *Dubius de valore matrimonij.*

Grave dubium est, an melior conditio possidentis faveat etiam coniugi dubitanti de valore matrimonij sui iam contracti, quia suspicatur intercedere sibi cum Marito impedimentum aliquod v. g. consanguinitatis, vel quia fortè prior Maritus adhuc est in vivis &c. an stante tali dubio possit adhuc exigere & reddere debitum coniugale. Nos relictis aliorum responsionibus, Afferimus, talem coniugem posse ob solum titulum possessionis quò gaudet alter coniunx, partem minùs tutam, cui tamen possessio patrocinator, prudenter & practicè præferre parti tutiori, & reddere debitum coniugale, tametsi à petendo abstinere teneatur. Ita tenent quàm plurimi DD: Et ratio est, nam Ius alterius coniugis, cui suffragatur certitudo legitimæ possessionis, quantum est ex parte sua, manet integrum in corpus Coniugis dubitantis, ita quod si dubitans ei usum denegaverit, gravem iniustitiam committat contra Ius Matrimonij, ergo dubium de

incurrēda fornicatione, incestu, &c. cedere debet certæ possessioni conjugis non dubitantis, quæ proinde excuset etiam alterum conjugem, quousque tenetur reddere, & ut manet correlativus alterius volentis uti Iure suo indubitato, aliàs Ius conjugis non dubitantis redderetur inutile & lubricum, si ille haberet Ius petendi, & alter non haberet Ius reddendi.

XXIX. *Enucleatur quadam obiectio.*

EX duobus malis minus est eligendum, sed adulterari aut incestum committere, est maius malum, quàm semel non reddere debitum, ergo talis coniunx dubitans potiùs tenebitur denegare, quàm cum periculo adulterij aut incestus committendi, reddere debitum. & quod quamvis adulterium formaliter (quod contingit, dum fit accessus ad non suum scienter vel ex ignorantia culpabili) sit verè malum, adulterium tamen materialiter tale, cuius solius periculo mulier ista in hoc nostro casu se exponit, nec malum, nec maius malum est, quàm semel non reddere debitum, quia illa invincibiliter ignorat, uti supponimus, esse alienum: nec practicè, sed solùm speculative dubitat, an sit suus, in praxi verò est certa quod liceat, imò teneatur reddere, sic enim eligit partem non solùm tutiorem, sed quæ sola tuta est, quàm neglectà infert gravem iniuriam viro proprio & legitimo possessori, & subit periculum mortis, aperitque ianua omnium discordiarum, &c.

XXX. *Dubius de crimine cui annexa est irregularitas.*

CAsus est talis. Concurrunt plures ad percutiendum vel occidendum unum hominem, unus illorum incipit dubitare, an sua percussione interierit, quæritur, an teneatur se tanquam Irregularem gerere? Affirmativè respondemus, ob peculiare textus Iuris, in quibus dubius de homicidio ligatur irregularitate. Idque etiam confirmant Pontificum constitutiones, quæ ob periculum specialis indecentiæ decreverunt, ne homicida dubius ad sacrum altaris ministerium accedat: quod significatum videtur in Cap. Significasti, ubi sic habetur. *Si discerni non possit, ex cuius ictu percussus interijt, in hoc dubio tanquam homicida haberi debet, cum in hoc casu cessare sit tutius, quàm temerè celebrare.* In alijs verò casibus dubijs præter homicidium. v.g. utrum legitimè natus sit &c. nemo irregularis censendus est, hæc enim pœna solùm incurritur in casibus in Iure expressis.

XXXI. *Dubius de voto emisso.*

CErtus de voto aliquo à se emisso, dubius verò de eius adimplētionē, tenetur adhuc adimplere: quia cum persolutio sit dubia, obligatio verò certa, non præsummitur operans esse in aliqua possessione suæ libertatis contra obligationem, Si verò dubitet de ipsa emissionē voti,

non tenetur ad servandum votū, quia factum in dubio non præsummitur, sed demonstrari debet, iuxta illam regulam Iuris, *nemo solvere cogitur, antequam demonstratur esse debitor.*

XXXII. *Solvitur argumentum quoddam contra priora asserta.*

IN materijs aliarum virtutum extra materiam iustitiæ, non datur propriè dicta possessio, quæ conditionem dubitantis possit reddere meliorem, ut v. g. qui dubitat an votum castitatis emiseric, nihil possidet contra votum, in dubio verò iustitiæ, v. g. an prædium quod possidet, sit suum, realiter aliquid possidet, vid: prædium, ergo in alijs materijs titulus possessionis non patrocinator dubitanti. & negando antecedens, si enim votum dubium fuerit personale, possidet Ius libertatis suæ ad operandum, vel non operandum: si verò fuerit reale, ut cum dubitat an voverit dare pauperibus centum aureos, utiq̃ue illos adhuc possidet, donec eos, impletò demum votò, pauperibus distribuerit: Itaquæ quemadmodum in dubio iustitiæ possessor prædij v. g. habet meliorem conditionem, potestquæ titulò possessionis in praxi eligere minùs tutam, ita pariter in alijs materijs religionis v. g. licebit eòdem titulò minùs tutam eligere.

XXXIII. *Corollaria quædam ex dictis inferuntur.*

EX dictis colligitur *Primò*, Quod si proferas aliqua verba, quæ sub ambigua significatione votum significare videntur, tu quoquæ dubites, an sub illis verbis habueris intentionem vovendi, tunc prorsus non obligaris, quia tandundem est, ac si dubitares an votum emiseric, sicquæ possides libertatem contra votum: si verò verba fuerint clara & sine ambiguitate, tunc non excusaris à voti obligatione, *quia probatò factò præsummitur adfuisse omnia requisita ad illud. Cap. præsentia de prob.* sicquæ præsumptio militat pro valore voti, donec probetur contrarium, *Secundò* colligitur, quod si dubitas, an materia in qua vovisti vel iurasti sit licita, non obligaris, si dubium vincere nequeas, nequæ superiorem pro instructione adire possis, quia DEO non potest placere id in quo periculum pravitatis imminet: habita tamen instructione, vel dispensationem impetrare, vel votum adimplere teneris. *S. Tho. 22. q. 89. a. 9. ad 3. Tertiò* deniquæ colligitur, quod si dubiū transferit in opinionem, & opinaris te votum aut iuramentum emiseric, teneris adimplere, quia possessio non favet opinanti, sed solum dubitanti.

XXXIV. *Dubia peccata num confitenda?*

Periculosè committit, qui de hoc quod dubitat esse mortale, negligit confiteri. *S. Tho. in suppl. ad 3. p. q. 6. a. 4. ad 3. unde quando aliquis dubitat de*

Aliquo peccato, an sit mortale, tenetur illud confiteri dubitatione manente.
Ibid. Ratio etiam id suadet, nam sacramentum pœnitentiæ non tantùm est institutum in punitionem peccatorum, sed etiam est medicina salutaris contra omnia peccata, ergo in hoc dubio, an homo sit spiritualiter mortuus per peccatum dubium, necessarium illi erit medicinam quærere, quæ est contritio & confessio.

XXXV. *Diluuntur quadam obiectiones.*

Prima est. In nullo foro accusatur quis de delicto dubio, an id commiserit, quia in dubio delictum præsummi non debet, ergo nec tenemur nos accusare de peccatis dubijs. *Secunda*, qui post diligens examen remanet dubius, an se voto astrinxerit, non tenetur quidquam ex voto adimplere, similiter non tenetur solvere alteri debitum, de quo dubitat an contraxerit. *Tertia*, peccata dubia non sunt materia confessionis, hæc enim debet esse certa. *Ad Primam* R. Illam locum habere in odiosis, non verò in jis, quæ adeò favorabilia & animæ salutaria sunt. *Ad Secundam* dicitur, Illa quæ adducuntur esse odiosa, ideoque non obligare. *Ad Tertiam* asserimus: peccata dubia se solis non esse materiam confessionis, benè tamen iuncta peccatis certis.

XXXVI. *An infans cuius baptismus est dubius, sepeliendus sit in loco sacro?*

Placet affirmativa responsio, quod vid: non sit privandus sepulturâ ecclesiasticâ in baptismo dubio, sive dubium sit in suscipiente, sive in conferente, sive in materia, sive in forma: Ecclesia enim hæc pœnâ punit paganos, non verò illos, quibus collatus est baptismus, etsi de eius valore ob aliquam circumstantiam dubitetur. Quod si tamen supervixisset, sub conditione rebaptizandus fuisset.

XXXVII. *Duæ generales regulae, iuxta quas casus in materia dubia determinari videntur.*

Prima regula est, quandocumque in dubio speculativo facti possessio magis favet DEO, Religioni, voto, obligationi &c. tunc semper tenetur voluntas partem tutiorem eligere. Hinc dubitans, an ob tenue beneficium quod possidet, teneatur recitare horas, tenebitur partem tutiorem amplecti & horas legere, quia possessio stat pro lege, quæ universim obligat omnes beneficiatos ad recitandum horas, dubitatur autem an tenuioribus parcat intuitu angustioris præbendæ, cum ergo obligatio certa sit, excusatio verò dubia, possessio stat pro lege & iure Ecclesiæ & consequenter probatio incumbit volenti se eximere ab illa.

Quandocunq̄ue in dubio speculativo facti possessio magis favet operanti aut libertati voluntatis, licebit in omni materia eligere partem faciliorem minùsque tutam. Hinc dubitans an expleverit annum vigesimum primum, ad ieiunium ecclesiasticum ex præcepto non tenebitur, quia præceptum Ieiunij, cum sit affirmativum, respectu talis nondum est in possessione, obligatque solummodò illos, qui dictum annum iam expleverunt.

PARS QUARTA.

De Conscientia probabili seu opinativa.

THESIS XXXIX.

Differentia inter conscientiam probabilem & dubiam.

Cum probabilis seu opinativa conscientia, uti constat ex thesi 4. nihil aliud sit, quam assensus ad unam partem cum formidine alterius partis, hinc vel maximè discriminatur à conscientia dubia, in eò, quod dubia neutri parti contradictionis assentitur positivè, sed manet suspensa & in æquilibrio: opinativa verò alteri parti assentitur positivè, ob rationes non quidem infallibiles & evidentes, attamen probabiles, quæ intellectum inclinant, ut iisdem cum formidine quadam adhæreat. Nec etiam idem est conscientia probabilis & opinio, illa namque est iudicium seu dictamen rationis, iudicans, quid secundum opinionem probabilem in aliqua materia faciendum aut omittendum sit: hæc verò est veluti cardo & lucerna, cuius ductum conscientia sequens tutò potest pergere & operari circa aliquod obiectum sine peccato.

XL. *Opinio debet inniti duplici principio.*

Porrò ad stabiliendam & faciendam opinionem probabilem, debet duplex principium concurrere, aliud intrinsecum, aliud verò extrinsecum. Intrinsecum sunt ipsæ rationes probabiles, quibus opinio innitur, sub quibus rationibus clauditur etiam lumen naturale: extrinsecum verò est auctoritas DD: talem opinionem tenentium, in scientia vel illa arte peritorum. Inter ipsas verò opiniones una potest esse altera probabilior, quæ vid: pro se habet plura & firmiora argumenta, inniturque rationibus urgentioribus & magis efficacibus vel auctoritati plurium DD: aut saltem eorum qui magis docti & periti existimantur in illa scientia vel arte,

Opinio alia est speculatiuè, alia practicè

XLI.

probabilis.

Prior est, quæ habet pro se rationes & Doctorem aliquem, ita tamen ut his non obstantibus, executioni mandari aut practicari non possit, quia in praxi caret securitate: talis est opinio de peccatis dubijs necessariò non confitendis, quam tamen in praxi sequi minimè tutum esset, ut proinde eam Diana p. 4. tr. 3. resol. 5. plane reputet improbabilem, vidè quoad praxin. *Posterior* verò est, quæ non solum habet rationes & auctoritatem aliquam, sed etiã tutò in praxin sine alterius periculo aut incommodo redigi potest.

Disparitas inter opinionem probabiliorem

XLII.

& tutiorem.

Quamquam in moralibus quælibet opinio per ipsammet suam Theologicam probabilitatè constituitur tuta etiam in praxi, non tamen idem est, opinionem aliquam esse probabiliorem & tutiorem, probabilitas namque respicit veritatem magis vel minùs ostensam per argumenta speculatiua, quæ quantò fortiora fuerint, intra metas tamen medij topici, tantò maiorem efficiunt probabilitatem: securitas verò respicit minùs peccati periculum, adeoque provenit ex elongatione maiori ab omni etiam speculatiua præsumptione committendi actum vel materialiter iniustum. Declaratur hæc doctrina exemplo; v. g. communior & probabilior opinio tenet, sacerdotem non obligari sub mortali recitasse matutinum ante celebrationem Missæ, licet pauci rigidiores opinentur eum omnino obligari, si ergo sequaris hanc rigidiorē utique eris tutior & remotior ab omni periculo impingendi, & tamen opposita sententia manet probabilior.

XLIII. *De opinione probabili respectu probabilioris.*

Quando inter duas opiniones una est probabilis, & altera probabilior, licitum est sequi opinionem minùs probabilem in moralibus relicta probabiliori, idque non solum quando opinio minùs probabilis est tutior, sed etiam quando est minùs tuta, & ut talis ab operante habetur. Ratio est. Nam quisquis operatur secundum rationem & prudentiam humanam, ac bona fide, talis tutus est à peccato, sed qui operatur secundum opinionem probabilem, operatur secundum rationem & prudentiam humanam ac bona fide, non enim tenemur in moralibus sequi, quod est perfectissimum, sed sufficit sequi bonum & tutum, ut patet v. g. dum absolutè adoramus hostiam, etsi euidenter certi non simus, an sit consecrata, idque facere possumus absque omni periculo idololatriæ, ergo & c. Ac-

cedit, quod si foret periculum operari secundam opinionem minus probabilem, minusque tutam, utique universalis Ecclesie tanquam sollicitae Matri salutis filiorum suorum, incumberet, in omni negotio eliminare & e medio tollere opiniones minus tutas, quod cum omittat, signum est, nulli sententiae probabili in esse periculum.

XLIV. *De opinione unius novi & singularis Doctoris.*

Nemini tutum est contra communem Scholasticorum sententiam operari secundum singularem ac novam opinionem unius novi Doctoris quantumlibet gravis & pij, donec illa annosior facta, censi possit communi Scholae iudicio approbata. Ratio est, quia semper temerarium & periculosum est, velle sapere contra communem DD. sententiam: hinc potius a quolibet Christiano christiana prudentia & modestia requirunt, non altum sapere, sed *sapere ad sobrietatem*, ad Rom: 12, ac praesumere, quod plus videant oculi, quam oculus, id est, facilius se unum errare posse, propriisque affectibus seduci, quam totalios praecellentes viros: quem in finem Sap: proverb. 3. dicit, *Ne inittaris prudentiae tuae*. Item ibidem v. 24. *Ne sis sapiens apud te ipsum*, id est singularis in opinando.

XLV. *Impugnatur prior thesis, sed defenditur.*

Ecclisia DEI quotidie adhuc illuminatur, & interdum revelatur minori, quod maior nescit, imò vel maxime per hunc modum, sententiae quae ab initio non fuerunt communes paulatim cum plausu & utilitate scholis invecatae fuerunt, ut patet de veritatibus elucitatis tempore SS: Thomae & Bonaventurae contra communes tunc temporis sententias, &c. Ecclesiam in dies illuminari non per inventionem novarum opinionum contra antiquas, sed per devotionem novarum conclusionem ex principijs per antiquitatem & communem P P. consensum iam stabilitis: Et quamquam saepe reveletur minori quod maior nesciebat, non tamen contrarium eius, quod vel tota multitudo, vel modernorum DD. unanimis consensus scivit & constituit. Deinde etiam verum non est S. Tho. vel D. Bonaventuram studuisse novis opinionibus invehendis, cum non nisi doctrinam antiquorum P P. tradiderint, aut certe conclusiones ex ipsis deduxerint, ut ipsos insipienti patebit.

XLVI. *De opinione eligenda circa administrationem Sacramentorum.*

In administratione Sacramentorum non licet promiscue eligere sententiam minus probabilem relicta probabiliori, sed plerumque ea eligenda est, quae favet suscipienti, & quae putatur certius conducere ad veritatem Sacramenti. Ratio est, quia Sacramenta se totis in favore suscipientium ordinata sunt, unde ad minus in ijs sacramentis, quae sunt de necessitate salutis

peccaret sacerdos contra misericordiam & charitatem proximo debitam, si, ubi potest, certum illi adhibere salutis remedium, utatur incerto, cui secundum rem forsitan potest subesse falsum & consequenter periculum amittendi vitam æternam: hinc in Baptismo nunquam licebit adhibere hanc formam, *Baptizo te in nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis ab utroq;* quantumvis ad confectionem huius sacramenti credatur sufficiens, nec in re ab alia consueta forma differat.

XLVII. *De opinione eligenda circa absolutionem moribundi solum generalia signa doloris, sive in presentia, sive in absentia sacerdotis exhibentis.*

Difficultas hæc iam dudum inter Theologos tam antiquos, quam recentiores agitata est, & quidem in duplici sensu, *Primò*, an liceat impendere absolutionem sacramentalem, infirmo qui vi morbi oppressus in presentia sacerdotis nullum particulare peccatum explicare potest, sed tantum generalia signa doloris tundendo v.g. pectus &c. exhibet? *Secundò*, an absolvi possit, qui in presentia sacerdotis nec generalia signa penitentiae exhibet, testantur tamen astantes ipsum ante adventum sacerdotis eiusmodi signa edidisse & confessorem petiisse? *Qua* in re duæ sunt inter se pugnantēs sententiæ, una affirmativa, & altera negativa: quarum Fautores ad longum refert Diana p. 3. rr. 3. resol. 1. Et quoniam affirmativa quoad utrumque sensum magis fundata est in Angelico nostro Præceptore, & insuper cedit in favorem & maximam consolationem hominis moribundi, ac denique Christiana charitas, ut eam practicemus, à nobis exigere videtur, idè eam tanquam probabilissimam amplectimur. Quam ut explicemus fit *Thesis*

XLVIII. *Resolvitur difficultas quoad priorem sensum.*

Quando moribundus coram Sacerdote nullum peccatum particulare explicare potest, exhibet tamen signa quædam, quibus ostendit se peccasse, ideoque dolere, potest sacramentaliter absolvi. Ita manifestè colligitur ex S. Th. in suppl. ad 3. p. q. 9. a. 3. quatenus ibidem docet, quod confessio, secundum quod est pars sacramentalis, habet determinatum actum, sc: proprium verbum: alij autem modi sunt inducti in supplementum istius. Deinde in sol. ad 3. concedit de muto, vel qui est alterius lingue, sufficere, quod per scriptum, aut per nutum, aut per interpretem confiteatur, quia non exigitur ab homine plus, quam possit. Ad quæ verba sic subsumimus, sed talis moribundus, non potest plus quam nutibus se peccatorem ostendere, ergo hoc sufficit, ut sit capax absolutionis sacramentalis. Patet consequentia. Quia quando non possumus unò modo, debemus secundum quod possumus confiteri. Ibid. in fine sol. ad 2.

XLIX. *Resolvitur quoad posteriorem sensum.*

Etiam moribundus, qui priusquam sacerdos adveniret, dedit signa pœnitentiæ & petijt confiteri, interim tamen, tractâ morâ, voce & sensu destituitur, potest à superveniente sacerdote sacramentaliter absolvi, modò testes in præsentia utriusque tam sacerdotis, quàm infirmi fateantur illum confessorem petijisse. Et ita docet S. Tho. opus 65. §. de Sacramento vñctionis non procul à fine, ubi hæc habet aurea verba. Si autem infirmus, qui petit vñctionem, amisit notitiam vel loquelam, antequam sacerdos veniret ad eum, nihilominus ungat eum sacerdos, quia in tali casu debet etiam baptizari, & à peccatis absolvi. Hæc S. D. Accedit quoque ratio, Nam Christus Dominus contulit suis sacerdotibus potestatem & auctoritatem absolvendi à peccatis quoscunque verè pœnitentes, qui se in tali foro clavibus Ecclesiæ subijciunt, sed talis moribundus verè pœnitet, & peccata sua confitetur modo sibi possibili & pro statu in quo eum constituit conditio naturæ, ergo potest absolvi. Nec verum est, quod eiusmodi sive confessio, sive absolutio, damnata sit per decretum *fel. record.* Clementis VIII. Anno Christi 1602, solum enim ibi damnata fuit confessio, quæ fit per internuncium aut sacerdoti absentem, qualis ista non est.

Argumenta contra priores theses, sententia

L.

negativa faventia.

Primò. Confessio iuxta Christi Domini institutionem debet esse integra, talis autem non est confessio, de qua est sermo, cum moribundus planè nullum in specie recenset peccatum. *Secundò.* In hac confessione nulla datur materia determinata. *Tertiò.* Pœnitens solum ostendit se habere voluntatem confitendi, reipsa autem non confitetur: ergo talis neutiquam capax est absolutionis sacramentalis.

LI.

Satisfit argumentis propositis.

Ad Primum R. in tali casu ad integritatem confessionis sufficere ipsam substantiam confessionis, quando iam nihil amplius est possibile, unde ad impossibile moribundus minimè cogendus est. Ad *Secundum* dicitur, quod non detur quidem materia determinata secundum speciem infirmam, benè tamen in genere offensæ divinæ, quod in hoc tam extraordinario casu sufficit. Ad *Tertium* denique R. quod hic non solum habeat voluntatem aut propositum confitendi, sed etiam reipsa iam inchoat confessionem, eamque prout potest instituit, subijciendo sc: statum peccatoris in ordine ad claves sacramenti pœnitentiæ, quod sufficit, quando iam aliud præstari non potest: In absentia verò sacerdotis committit id astantibus tanquam suis interpretibus, ut id sacerdoti denuncient, & absolutionem pro ipso impetrent, casu quo ipse per se hoc facere nequeat.

LII. *De opinione eligenda in materijs & causis iustitiæ,
& quæ concernunt Ius terrij.*

Iuxta diversitatem materiæ diversæ hic occurrunt resolvendæ difficultates, quæ sequenti versu continentur.

Rex, Medicus, Miles, Iudex, Idiota, Magister.

Quibus si adiungatur Advocatus, septem erunt de quibus dubitari potest, num quilibet in sua materia eligere possit, opinionem probabilem relicta probabiliori: quod nos per totidem theses, cuilibet suam determinantes, explicabimus.

Iudex.

In causis criminalibus, ubi agitur de vita, honore, aliavè multa Reorum tenetur Iudex favere Reo, qui est in possessione vitæ, honoris, ac bonorum, quandoquidem omnes leges positivæ, quoad fieri potest in mitigationem sunt interpretandæ, Iuxta illam *Regul. 11. de Reg. Juris in 6. cum sunt partium iura obscura, Reo potius favendum est, quam Actori.* Nisi argumenta pro Iurè fisci essent nimis certa & evidentiâ.

Si verò quæstio & dissidium sit de probabilitate facti, tenetur Iudex decernere secundum partem tutiorem & probabiliorem, ita ut si argumenta fisci sint probabiliora ad convincendum Reum de opere patrato, tenetur Iudex procedere contra reum ad minus usque ad torturas pro exprimenda veritate, non verò procedere potest ad finalem sententiam, quamdiu vel modica probabilitas pro reo manet, quia iniquum est decernere pœnam certam delicto incerto.

In causis denique civilibus seu iudicialibus distinguendum est, vel enim neuter litigantium est in quietâ possessione rei, de qua litigatur, vel alter iam possidet: Si *primum* probabile est ex communi sententia non obligari Iudicem ad sequendum probabiliorem sententiam seu ad decidendum pro illo, qui habet apparentiores prætextus Iuris, præsertim si alteri faveat maior probabilitas facti. Ratio est, quia non apparet obligatio, cur non possit Iudex, seposita tantisper opinione propria, admittere hic & nunc alienam, quam novit ab alijs eruditis & probis, censerî probabiliorem suâ. Si verò dicatur *secundum*, quod vid, altera pars litigantium sit in quietâ possessione, nulla probabilitas sufficiens est, ut res adiudicari possit contrariæ parti, sed requiruntur argumenta certa, quæ omninò convincant possessionem iniquam, aut malæ fidei esse: igitur quousque adversarius Ius suum liquidò non probaverit, melior manere debet conditio possidentis.

Certum in primis est, advocatum in causa quam novit esse iniustam seu desperatam advocare non posse. *L. rem non novam. §. Patroni c. Iudicibus* Ratio est, quia ubi cliens nullum habet Ius litigandi neque advocatus habere potest Ius advocandi. Idem etiam dicendum videtur in causa probabili, cui ex altera parte obest possessio bonæ fidei vel saltem quieta, cum sufficienti quoque vel etiam maiori probabilitate Iuris & facti: cum enim Iudex non possit favere actori talis causæ contra possessorem, videtur etiam advocatum non posse in eum finem operam suam locare. At verò in causa utrinque incerta, & ubi neuter litigantium est in quieta possessione, licitum est advocato suscipere partem habentem Ius probabile, etsi causam adversariam putet habere Ius probabilius faciliusque obtinendum: Ideò enim permittunt Iura advocatum ut veluti vicarius partis litigantis causam dubiam & controversam cum adversario contestetur, atque propositis Iuribus & rationibus, Iudicis sententiam postulet: cum non raro contingat, causam, quæ ab initio litis videtur minus probabilis, in processu, factò diligenti examine, evadere probabilior.

Rex seu Respublica habens & inveniens pro se post diligens examen non nisi Ius probabile, alter verò Rex, Respublica seu Princeps absolutus non subditus habet Ius probabile cum possessione quieta, non potest contra hunc movere bellum ad effectum spoliandi. Colligitur ex dictis thesi 52. circa Iudicem, quæ omnia tantò magis hic tenent, quanto plures hominum vitæ & fortunæ periclitantur in bello, quod si neutra pars fuerit in quieta possessione, poterunt convenire de arbitris eligendis, qui si uni parti causam adiudicaverint, tenetur altera pars cedere: si resistat, nec superfit aliud medium exequendi sententiam Iudicum, Rex Actor potest sua auctoritate movere bellum in contumacem, eumque repellere non tantum ab usurpatione, sed etiam exuere bonis proprijs, quantum sufficit pro recompensatione sumptus bellici, & vindicta iniuriæ illatæ.

Quando causa belli manifestè est iniusta, nullus miles sive conductus, siue non conductus potest iuvare talem Regem in bello, aliàs tenebuntur, ad restitutionem totius damni, quod inferitur adversæ parti. Quod si verò iustitia belli dubia sit, poterunt milites subditi, vel etiam certis stipendijs addicti bellare suo principi, etsi dubitent de iustitia belli, quia subditus tenetur obedire suo superiori, quousque non mandat

aliquid, quod vel certò sit, vel certò credatur esse præter aut supra illius potestatem, unde conscientia eorum securè conquiescere poterunt in auctoritate principis, donec aliunde constet bellum iniustum esse. Accedit, quod in dubijs, præsumptio semper stat pro principe & superiore, cum ergo hic sit in possessione mandandi, tenetur subditus obedire absq̃ve discussione mandati, quando non creditur esse in materia mala.

LVI.

Magister.

Magister seu Professor publicus non potest docere opinionem probabilem aliorum, relicta sua propria quam iudicat probabiliorem. Ratio est, quia Doctor publicus tenetur iudicare de opinionibus, non ex nuda auctoritate aliorum DD: sive ex principijs extrinsecis, sed quoad fieri potest, secundum principia intrinseca, teneturque in illis pro viribus conniti propinquius accedere ad veritatem, & recedere à periculo falsitatis etiam speculativæ. Exercitij tamen gratiâ benè potest quandoq; sustinere minùs probabilem contra probabiliorem.

LVII.

Medicus.

Non est ligitum relictis medicamentis certis, applicare infirmo incerta licet illa probabilia fuerint. Ratio est, quia in Medico exstat obligatio officij & charitatis, ut iuvet infirmum certiori via quâ potest: quapropter licet opinio illa de salubritate aliorum medicamentorum sit medicè probabilis, usus tamen illius opinionis theologicè est improbabilis & minimè tutus. Quod si nullum adsit remedium certum, tenebitur Medicus eligere opinionem probabiliorem & tutiorem in eligendo pharmaco, relicto minùs probabili, aliàs imprudenter agere videretur in re tanti momenti salutem proximi discrimini obiiiciendo. Quando denique nulla amplius superest spes de salute infirmi, non licebit ei applicare medicinam, de qua dubium est, an profutura sit, an verò nocitura, vitamque abbreviatura. Ratio est, quia in dubijs tutior pars est amplectenda, maxjmè ubi is de cuius damno vel periculo agitur, est in legitima possessione rei valdè charæ, sed in casu posito medicina illa valde dubia est, infirmus autem reperitur in possessione vitæ, quâ nil charius, nec in eam aliquid Iuris competit Medico, ergò talis medicinæ applicatio tuta non erit, sed oportebit potius infirmum DEO & naturæ relinquere, quàm novo periculo sine probabili spe fructus exponere.

LVIII.

Idiota.

Nomine Idiotæ intelligimus eum, qui quamvis in materijs alijs sit literatissimus, in materia tamen morali de probabilitate opinionum ex principijs intrinsecis iudicare non potest, sed tantum ex auctori-

tate aliorum, quos consulit, quorum simplex asseveratio ei sufficit. De tali igitur asserimus, quod in dubijs se conformare debeat responsis & consilio sui Confessarij, vel DD: quos credit esse peritos & doctos: sic enim prudentia dicat, ut qui in re gravi non sufficit seipsum dirigere, confugiat ad Magisterium & opem aliorum, quâ habitâ tenetur sequi eorum sententiam & instructionem dubiumque deponere ac securè operari, quo in casu etiam si fallacia quædam interveniret, is tamen ob bonam fidem & ignorantiam invincibilem excusaretur.

PARS QUINTA.

De Conscientia Scrupulosa.

THESIS LIX.

Vnde derivetur Scrupulus & quid sit.

Conscientia scrupulosa (tropicè sic dicta à scrupulis seu parvis lapillis qui quantumvis leves & parvi, intra calceum tamen ambulantium immixti, non tam vulnerant, quàm divexant) formaliter consistit in quadam anxia formidine, timens ne fortè malum sit, quod tamen sat probabiliter licitum esse putatur v.g. præcipit Prælati infirmo, ut comedat carnes in quadragesima ex consilio Medici, obedit ille cum assensu sufficienti, quod liceat in tali circumstantia vesci carnibus, quia tamen res admodum sibi insueta est, sentit trepidam quandam repugnantiam & remorsum: unde insurgit anxietas in appetitu, & hæc propriè scrupulus appellatur.

LX. *Effectus & pericula Scrupulorum.*

Proprius effectus scrupulorum est, taliter perturbare mentem, ut rationes apparentes & futiles occurrentes habeat tanquam demonstrationes, è contra rationes solidas in favorem trepidantis animæ vix aut nullatenus admittat, hinc fit quod scrupulosus totam vitam consumat in mœrore & afflictione spiritus, ac suave iugum DEI reddat onus importabile: & quia ut dicitur Proverb. 17. v. 22. *spiritus tristis exsiccat ossa*, id est, *omne animi corporisq; robur debilitat*, ut colligitur ex S. Th. 1. 2. q. 37. a. 4. idèò subinde homo per scrupulos inutilem se reddit ad præstandum suum officium, vel retrahitur à bonis operibus, præsertim ab usu salutari sacramentorum pœnitentiæ & Eucharistiæ: unde etiam eventus compluribus docuit, quod eiusmodi scrupulosi pedetentim dilabantur per viam accediæ ad teterrima vitia, frustra quærentes in vijs perversitatis dulcedinem illam, quam, ne in semitis mandatorum DEI invenirent, ipsi sibi impedimento fuerunt. Et hoc dictum sit propter eos, qui ex propria negli-

gentia & socordia scrupulosi fiunt, non propter illos, qui ex speciali ordine & providentia divina permittuntur acerbissimis scrupulis dilaniari, quatenus occasionem habeant pugnae & exercendae spei, ut habeant intentionem curam ad DEI auxilium recurrenti, ut de gratia & auxilijs supernaturalibus reverentius, deque viribus proprijs modestius sentiant, inter quos putatur eminuisse Iob, cuius fuit in summis anxietatibus iste heroicus animus, *etiamsi me occiderit, sperabo in eum. Iob. 31.*

LXI. *Conscientia Scrupulosa non obligat ut sequamur eam.*

Hinc evidenter inferimus conscientiam scrupulosam minimè obligare ut eam sequamur, sed possumus contra eam agere vel depositò scrupulò, vel eò permanente. Ratio est *Primò*, Quia cum scrupulus originem trahat ex levi fundamento, non est sufficiens ad auferendum morale iudicium, ita ut qui facit aliquid cum scrupulo permanente, dicatur illud contra dictamen conscientiae facere, conscientia enim non dicit illud esse illicitum, sed scit & firmiter credit esse licitum cum aliqua apparentia oppositi. *Secundò*. Scrupulus secundùm se non est error, cum se teneat immediatè ex parte appetitus, non verò ex parte rationis, neque formaliter consistit in dubietate, sed tantùm affundit ex parte intellectus suspiciones frivolas, & ex parte appetitus agit inquietudinem pusillanimitatis, atqui cum his omnibus benè potest stare bona operatio, ergo &c.

LXII. *De remedijs quibus sub-veniendum scrupulosis.*

EX pluribus remedijs quæ passim à DD: contra scrupulos assignantur, nos duo adducemus, unum ex parte scrupulosi, alterum ex parte confessorij. Potissimum remedium ex parte scrupulosi est, non inniti iudicio proprio, quantumvis sibi ingenio, doctrinâ rerumque experientiâ pollere videatur, sed humili, candidâ, cæcâque obedientiâ se submittere iudicio Confessorij prudentis, cuius erit reliquas deinde illi applicare medicinas pro qualitate conditionis subiecti: cum enim scrupulosus in illa materia per seipsum non sit aptus examinare rationes, siquidem turbante pavore, levissima quæque motiva apparent ei gravissima, & quò intensius conatur se liberare, eò deterius se intricat & involvit, ideò præstat alieno se hic committere arbitrio & directioni.

LXIII. *Alterum remedium ex parte Confessorij.*

Confessorij est imprimis cognoscere morbum, sitne verè scrupulosus, & num in omni materia, an verò in aliqua particulari tantùm, item an de factis, an verò de faciendis vexetur. Si de factis seu perpetratis

tis non permittat Confessarius pœnitentem aliquas confessionses cum anxietate recoquere, si probabiliter existimare potest, eum hoc tenus mediocrem diligentiam in faciendis confessionibus adhibuisse, ne si unam confessionem repetere admittatur, mox novo & forsan vehementiori angore crucietur circa ipsammet ultimam confessionem, fueritne cum sufficienti examine, dolore &c. Si verò dubium rationale fuerit de aliqua præteritarum confessionum, suadebit ei, si videbitur, generalem recapitulationem omnium mortalium totius vitæ, quantum moderato examine poterit assequi, facere, quâ semel factâ, non patiat eam reassumi pluries. Item etiam eiusdem dubitationes frivolas sæpius in leniorem partem interpretetur, sæpius etiam non admittat, sed duriusculè repellat.

Quod si verò scrupulosus vexetur in agendis, moneatur ne nimia sollicitudine disquirat singulos apices, ac si sub omni saxo lateret scorpiorum: exaggerentur ipsi frequentius adagia scripturæ de DEI paterna cura & custodia erga suos v.g. ex Apost. Si DEVS pro nobis quis contra nos? DEVS iustificat, quis est qui condemnet? Rom: 8.

Denique persuadendum est misero, ut in suis actionibus non aperte, evidenterque malis, seponat omnem formidinem, aliquando etiam præcipiatur eidem, ne metuat peccatum, ubi non cum iuramento asserere possit peccatum adesse, quia sic formido periurij expugnabit, aut saltem diverteret formidinem de altera malitia.

Faxit DEVS ut conscientia nostra taliter illuminetur & dirigatur ab ipso, ut & hic & in extremo iudicij die, mundâ ab omni labe conscientia, ipsi placere perpetuò possimus, hic autem nos spiritualem exinde consolationem capiamus, siquidem iugiter requiescit is, quem conscientia non reprehendit, & sapientissimo Salomone teste, luce convivium conscientia bona. Proverb, 15. v. 15.

**Omnia ad maiorem DEI, Magnæ Matris Virginis
Mariæ, Sancti Patris nostri Norberti, & Divi
Thomæ Aquinatis Præceptoris
nostri, honorem &
gloriam.**

REVERENDISSIMO ET AMPLISSIMO
DOMINO, DOMINO

C O N R A D O

CELEBERRIMI MONASTERII MARCHTALLENSIS

S. Ordinis Canonici Præmonst: ABBATI Meritissimo, studiorum
Fautori, Promotori & Mæcenati Colendissimo,

Gratitudinis Thesera & affectuosum amoris μεμνόςυρον,

Ceu parit ingenium varias in imagine formas;
Sic in structuris multiplicantur opes.

Primus in excelsis ponit sua nomina tectis,

Ædibus ac solio, firma futura solo.

Alter erit gazas qui querit, & aggregat aurum,

Ut sic in fulvo fulgeat altus honor.

Non rarus vario cupiet clarescere bello,

Exclamans victor, victus hic hostis habet.

Quisq; suus faber est fortuna, ac culminis alti;

Ni cadat in proprias alea iacta plagas.

Cunctis his præstat Sapientia prima Tonantem

In cælis verum noscere, mente sequi.

Hoc opus, hic labor est, hinc sunt fundamenta mundi,

Hæc est alternis fabrica prima polis.

Tu Venerande Pater, senio clarissime Præsul,

Hoc agis, & sanâ mente revolvis opus.

Candidus in niveo vis nos candescere prato

Præmonstratensi: dum Sapientia nix.

Mente nixem capimus, binas ad sidera palmas

Extendendo, tuis semper in obsequijs

Quid querant aliud Fratres, veriq; clientes

Quam Numen summum & Te quod nosse Patrem?

IN INSIGNIA EIVSDEM REVEREN-
DISSIMI DOMINI, D. ABBATIS
MERITISSIMI VOMERÈ CONSPICVA.

Terra tulit spinas postquam decepta comedit
Arridens pomum, prima, Virago, parens.
Nec mirum; malum vetitum quod suaserat illi
Serpens gustatum, mox mala multa tulit.
Exortæ sentes internè, ac mente vepræta
Criminis, exiliij, perpetuæq; stygis.
Quid magis his pungat, quid plus pungendo cruentet,
Ac cum terrificâ morte peremptus homo?
Tollendæ spinæ, fulcanda est vomere tellus,
Et quos culpa ligat, dextra ligone iuvet.
Quis ligo? mundicies, quis vomer? Cana senectus;
Hæc spinas tollens scit refecare malum.
Rarus hic est vomer, sed quem tua dextra laborans
Arripit, ut mentis sedula purget agrum.
Nocte diuq; studes vigilando, Deumq; rogando,
Ut spinas tollas criminis, arte malum,
Insuper in nostras, rarâ dulcedine, mentes
Virtutes plantas, optimus Agricola.
Hoc solum superest, ut pergas vomere mentes
Sulcare, excrescent, lilia, quanta voles.

Obtulerunt humili debitoq; obsequio
R. R. Patres & Religiosi Fratres
Ibidem Professi, Filij obsequentissimi.

- Admodum R. P. GALLVS Kestlin Prior.
 R. dus P. CAROLVS Bühel Subprior.
 R. P. DIONYSIVS Schelklin Senior, Generosi Domini Bar-
 ronis, Domini Bernardi Speth à Zvvifalten, Sacellanus.
 R. P. BERNHARDVS Kefinger.
 R. P. HVGO Vogel Parochus in Dietterskirch.
 R. P. IOANNES GEORGIVS Kiene SS. Theologiæ Doctor,
 & Lector, Parochus in Saulgart.
 R. P. PLACIDVS Braunacker, Secretarius & Parochus in
 Seekirch.
 R. P. SEBASTIANVS Leuprandt Parochus in Wachingen.
 R. P. MODESTVS Schvartzenberger Cellarius.
 R. P. DOMINICVS Molitor Parochus in Bielringen.
 R. P. TIBERIVS Bitterlin Philosophiæ Lector, Parochus in
 Munderkingen.
 R. P. FRANCISCVS Bühel.
 R. P. BONAVENTVRA Werner.
 R. P. GODEFRIDVS Dorner.
 R. fus F. NORBERTVS Kheyl.
 R. F. IOSEPHVS Hoël.
 R. F. IOACHIMVS Leyrer.
 R. F. AVGVSTINVS Stauderaufs. } SS. Theologiæ
 R. F. BENIGNVS Miller. } Studiosi.
 R. F. BARTHOLOMÆVS Agricola. }
 R. F. SERAPHINVS Bechler. }
 R. F. FIDELIS Messerer. }
 R. F. NICOLAVS Wirieth. Nov. } Philosophiæ Stu-
 R. F. IOSEPHVS Keller Nov: ex Roth, } diosi.
 R. F. IACOBVS Herlin Convers.
 R. F. INNOCENTIVS Haffner. Convers:

**REVERENDO, RELIGIOSO
ET PERDOCTO PATRI GODEFRIDO**

DORNER GERMANO GERMANVS VE.

lut alter ipsi Pater Nutritius, hæc de Conscientia

Theses propugnanti,

Ex nuce fit corylus, de glande fit ardua quercus.

D *Ant vitam natis gignendo, fovendo, Parentes,
Et quos fert tellus, sæpè tulere manu.*

*Hic amor, hæc cura est laudabilis, atq; Paterna,
Ut magni fiant, gloria prima Patris.*

*Tu Frater mihi natus eras sub pectore charus,
Quem nutri-vit amor, sedula cura tulit.*

Ex nuce fis corylus, de glande fat ardua quercus,
Dum studijs animum tradis, & alta peris.

*Perge, labor tuus est; Frater vis Vincere Patrem?
Vincas, nam Sapiens gloria Patris eris.*

Fraterni affectus ergo

Gratulabundus apposuit

*Mag. Ioannes Dorner Ruralis Ca-
pituli Saulgensis Camerarius &
Parochus in Ertingen.*

REVERENDIS RELIGIOSIS AC PER-
DOCTIS DOMINIS HARVM THESIUM
PROPVGNATORIBVS.

MArchtallensis agri quid agis veneranda Iuventus?
Cur nova defuncto prælia Marte canis?
Scilicet ignoras quæ damna tulere coloni?
Nuper in orbatō Gente furente solo,
Non benè conueniet (vix factâ pace) per Vrbes
Rursùm magnanimos sollicitare Viros.
Attamen ut præfers non est Tibi cura pericli
CANDIDA PROGENIES, tela nec arma times.
Docta satis vitare dolos, vitare meandros
Haud faciles. Iocus est (Hoc Duce) castra sequi.
Nam labor assiduus nunc CONSCIA CORDA malorum
ANGELICA Superas edocet ARTE vias.
ERRANTES perducit oves ad amæna Salutis
Pascua; nunc gravidis crimine, solvit onus.
Hinc, RECTA populis monstrat RATIONE, quod unum
Turpe nefas homines dividat, inde DEOS.
Plura facit: DUBIAS cogit clarescere MENTES,
Pectora diuino Lumine cuncta replet.
Hoc fulgore animi cæcas PLEBS CLARA tenêbras
Pelle procul; toto crescat ut orbe salus.
Aude aliquid! leuis HERCULEUM non terreat hostis
PECTUS; iam victrix Gloria ferta parat.
State Viri! pugnate alacres, Victoria constat,
SANCTA etenim nullo turbine CAUSA cadet.

Honoris & amoris ergo

Accinuerunt,

FR. FIDELIS MESSERER,

FR. IOSEPHUS KELLER,

FR. NICOLAUS WIRIETH,

ERUD. D. IO. GEORGIUS FELBER.

Philosophiæ
Studioſi Ibid.

Iisdem Dominis Defendentibus,

Fratres, quæ retinet vestras audacia mentes!
Excidit è cælo Phaeton temerarius alto,
Et vos virtutis qui candida signa secuti
Poscitis errores (heus! damna cavete) tueri.
Hiccine profectus, vestri fructusq; laboris?
Ah! satius talem fuerat vitasse laborem.
Cum labor hic vester nil sit nisi conscius error.
Atqui non ipsos errandi queritis actus,
Sed modò notitiam generosè errata tuendi,
Pergite; nam multos errorem nôsse beavit,
Et plures non nôsse, stygis detrusit ad undas.

Offerunt

Ad idem Institutum aspirantes

Ibid. Syntaxeos Studiosi.

FRANCISCVS Rieger.

IOANNES GEORGIUS Berchtoldt.

IOANNES GEORGIUS Steber.

Cum Facultate Ordinarij.

C O N S T A N T I A E,

Ex Typographèo Episcopali, apud Ioannem Geng. Anno 1652.

